

*Doc. 54 (Karolus etc. Notario Margarito
de Termulis, credenzerio et erario...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 54 (Karolus etc. Notario Margarito
de Termulis, credenzerio et erario...)*

1322-11-19

Karolus etc. Notario Margarito de Termulis, credenzerio et erario forestarum suarum Lacuspensulis et Sancti Gervasii fidei suo etc.

Habuit consultatio tua facta nobis nuperrime, quod aliquando te vacante ad exercitium huius officii tibi commissi illud exinde sequitur quod dum vacas in altero locorum ipsorum altero te carente curia nostra grande dispendium patitur atque dampnum, pro eo quod ex tua inde absentia de custodia et iuribus dictarum forestarum contingit informationem debitam non haberi. Et propterea supplicasti super hoc per nos oportuno remedio provideri. Nos igitur nolentes quod per id curia ipsa ulterius sentiat detrimentum tibi presentium tenore concedimus, ut pro diligentiori et tutiori amministratione dicti tui officii et ipsarum forestarum custodia, in dicta foresta Lacuspensulis, unum ex quatuor et in dicta foresta Sancti Gervasii unum ex tribus servientibus equitibus ad ipsarum custodiam per nos ab hactenus deputatis, tuo siquidem arbitrio eligendos substituere valeas loco tui, qui cum de locis seu forestis ipsis te successive individuitate persone contingat abesse, tuam supplentes absentiam tuo funguntur officio vice tua, cum solutione tantum videlicet gagiorum illorum, que sunt eis ab olim per eandem nostram curiam stabilita. Ceterum quia expedit ut victualia curie nostre, que conservantur per castellanos forestarum nostrarum Lacuspensulis et Sancti Gervasii vendantur pro curie nostre parte et eo maxime quia ut didicimus conservando comode conservari non possunt, volumus tibi que presentium tenore committimus et mandamus quatenus huiusmodi victualia ab ipsis castellanis procures recipere, eaque de conscientia et notitia ipsorum castellanorum, vel

substitutorum ab eis plus offerentibus, in testimonio puplico vendere procures instanter debitis et solitis solemnitatibus observatis, et pecuniam quam perceperis de venditione ipsorum nulla retentione facta ad cameram nostram mittas, nostro thesaurario assignandam.

Datum Neapoli sub parvo sigillo nostro die XVIII novembris VI indictionis (1322).